



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia  
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive  
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

**Wamesius, Johannes**

**[S.l.], 1643**

De simonia. Consilium DLXIV.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

## De simonia.

## S V M M A R I V M.

Simonia quomodo probetur.

1. Delictum alterius alterum non obligat.
2. 4. Simonia quomodo contracta probetur.
3. Simonia quomodo contrahatur.
5. Testis unus testimonio non credi.
6. Delatoris testimonium reprobatur.
7. Simonia pena quae sint.
8. Collatori beneficii an aliquid sine simonia dari possit.
9. Permutatio beneficiorum fraudulenta non est simonia.
10. Permutatio beneficiorum non vitatur, si alter commutari beneficii possessionem non apprehendat.
11. Permutatio beneficiorum non vitatur ob inaequalitatem valorum.
12. Fama male obiecto diluitur probatione bonae famae.

## CONSILIVM DLXIV.

**Q**UAE per Fiscum seu Promotorem nominis officii agentem Venerabili Viro ac Domino Ioanni C. Canonico & Scholastico Collegiatae Ecclesiae Sancti Leonardi Oppidi Leeuwenis huius causae Reo, ad poenam privationis Matriculariae Ecclesiae Parochialis de Womersem, & ad inhabilitatem obtinendorum aliorum beneficiorum, ac punitionem seu correctionem secundum dispositionem juris, propter commissam simoniam, obiciuntur, partim personam Rei non contingunt; partim nullo modo sufficienter probata sunt.

Nam quod proponitur Aegidium Loyaerts in anno 1568. à Guilhelmo Snyders acquilivisse dictam Matriculariam seu Custodiam, suo pensionem vitali annua octo florenorum super fructibus dictae Custodiae, non adhibita auctoritate, seu non interveniente reservatione superioris potestatem habentis; non dicti Rei, sed alterius factum continet, ex quo Reus gravari nullo modo debet: quia factum cuiusque sibi, non alii nocet, *l. non debet alteri, l. factum cuiusque suum de reg. iur. & ex alterius delicto alius non convenitur*; & ne quidem conjunctissimus. Vnde nec uxor ob culpam mariti, *l. ob maritum C. Ne uxor pro marito*; nec filius ex delicto patris, *tit. C. Ne filius pro patre*; imò nec haeres poenali actione ex delicto defuncti convenitur, *l. Defuncto D. De publ. ind. l. i. D. De privat. delict.* licet is representatione juris cum defuncto eadem censeatur persona; *Auth. de interveniendo à mortuo praest. in princ.* Quanto minus successores in beneficio, qui praedecessorem non repraesentant; cum in beneficialibus nulla sit successio, *c. 1. De preben.* peccata enim suos auctores tenere debent, non alios, qui innocentes sunt, perstringere, *l. Sancimus C. De penus.* Sic quod Reo ad poenam inferri non possit, si auctor suae simoniam commiserit; quia simonia personale delictum est, nec rem ipsam, hoc est beneficium ipsum vitio simoniae inhincit; ut rem furtivam vitio furti inficit ipsum furtum, per alium etiam commisi in, quamvis res in domini potestatem reversionem non est, *§. furtiva Inst. de usucap.* multo minus criminis reatum ad successorem in beneficio transfert.

Cum aliqui de hac illicita pactioe inter Conf. Wamef. Tom. II.

Guilielmum & Aegidium testes plerique super primo & secundo articulis libelli hoc continentibus, vel non sint producti, vel qui producti sunt nihil se scire deponent; & qui aliquid de eo dicunt, vel non probant, vel ita dicunt, ut inde non possit constitui aut praesumi illicita pactio. Nam D. & M. Dionysius Schroets quartus testis nullam fidem in toto suo testimonio, quod in hac causa dixit, meretur; ut paulo post latius dicetur: qui alioqui hac in parte singularis est, quia parte dixit se vidisse instrumenta huiusmodi pactioe, quia nemo alius ex testibus hoc dicit: & dum se refert ad idem instrumentum, imperfectum censeri debet ejus testimonium, quamdiu non constat de eodem instrumento, ad quod fit relatio, *Auth. Si quis in aliquo C. De edendo*: quod si prolutum fuisset, posset forte deprehendi, huiusmodi pactioem factam fuisse sub beneplacito Sedis Apostolicae, quod jure permissum est. Dominus Petrus M. quintus testis dicit se audivisse ex praefato Aegidio, quod haberet Matriculariam sub certa pensione annua; sed est in parte etiam singularis est, quia nec id alius aliquis ex testibus asserit. Pipinus L. sextus testis, absolute quidem dicit Aegidium hanc Matriculariam à Guilhelmo S. acquilivisse, sub certa annua pensione ei etiam soluta; sed & is singularis est, cum nemo alius idem dicat, nec addat eae illicita aliqua pactioe; ita ut in dubio praesumi potius debeat licentem, quam illicitam constitutam fuisse: ut fit in omni actu, qui bono vel malo modo explicari potest. Sanè huius testi in eo non est adhibenda fides, quod dicat illam pensionem quoque solutam fuisse; cum ex testimonio Aleydis matris dicti Aegidii decimae testis constet, dictum Guilhelmum itatim à facta resignatione huius Matriculariae obiisse; ita ut illi in vita pensio aliqua cedere aut solvi non poterit. Prout perinde singulare est testimonium septimi testis deponentis, quod fuerit praesens, ubi Reo & dicto Aegidio, de resignatione huius Matriculariae tractantibus, fuerit facta mentio de solvenda pensione dicto Guilhelmo: nam nemo est qui id praeterea dicat, Quod Dominus Petrus octavus testis deponit, se intellexisse de pensione duodecim florenorum reservatam Guilhelmo, pro testimonio accipiendum non est; tum quia est ex relatu aliorum, & sic nulliter, *c. Licet ex quadam, de testib.* & id quidem incerto, nullam personam expressa à qua id intellexerit; tum quia loquitur de pensione duodecim florenorum, quam Actor allegat dumtaxat octo florenorum fuisse. Minus probat testimonium Aleydis decimae testis, quae de pensionis constitutione aut promissione nihil dicit, imò se nihil seire asserit: hoc tantum addens, quod credat pensionem octo florenorum male fuisse solutam. Atque ita ex his omnino singularibus, & minime concordantibus testimoniis, nulla idonea probatio simonicae pravitate per Aegidium commissae in acquisitione dictae Matriculariae à Guilhelmo constitui potest, *c. Cum dilectus vers. est tres De electionib.*

Quae verò in capitulis accusationis personam Rei contingunt, in eo consistunt, quod Reus Matriculariam seu Custodiam dictae Parochialis Ecclesiae ab Aegidio illius ultimo possessore acquisiverit ex simulata permutatione, interpositis illicitis pa-

Ecc 2

tionibus

tionibus: videlicet de solvenda priore illa pensione Guilhelmo constituta; & de exonerando eodem Egidio, ac indemnem servando de illius solutione; item per assignationem alterius pensionis quatuor florenorum sine auctoritate superioris; & denique sub promissione duodecim vel tredecim florenorum vidue Henrici L. \* Quæ sanè si probata essent, sine dubio continerent conventionalem, realem, & plenam simoniam; propter pactiorem & dationem rei temporalis pro spirituali, c. Cum pridem, c. Pactiones De pact. c. Una De simonia, c. Prætere de transact. meritoque ob id Reus ob commissam simoniam puniri deberet, d. c. de hoc, c. Insinuatione de simonia.

4 Sed & hac in parte Actor destituitur probationibus sufficientibus & idoneis; quæ ut in aliis criminibus & delictis requiruntur evidentissimæ & clarissimæ, l. fin. C. de probat. ita quoque in crimine simoniæ, etiam si de illo civiliter ageretur, Panorm. in c. Veniens de testib. Verum quidem est, etiam in hoc crimine ad probationem faciendam admitti signa, conjecturas, & præsumptiones, c. Sicut simoniaca de simonia, Ioan. de Anania in c. Cum contumacia De heret. lib. 6. sed ea oportet esse per se evidentissimæ, & plenissimæ probatione singula probata Innocent. Felin. & alii in d. c. Sicut simoniaca: cujus generis probatio in testimoniis Actoris 5 nulla extat.

Facessit quidem negotium testimonium D. Dionysii quarti testis, qui aperto ore deponit, Reum ipsi confessum fuisse, quod sic, ut Actor articulavit, hanc Matriculariam Reus acquisiverit, idemque se audivisse ex ore dicti Egidii; & quod ipse præfens fuerit, ubi ipse Egidius mandatum dederit procedendi contra Reum ad solutionem pensionis quatuor florenorum; item quod ex vidua Henrici intellexerit de conventionem solvendorum duodecim vel tredecim florenorum pro debitis Egidii; & sic quidem deponit, ut si unius testimonio plena fides adhibenda esset, ad probationem nihil desiderari posset. Sed quoniam salubriter constitutum est, ne in civili quidem, multo minus in criminali causâ, unius testis testimonio ad condemnationem fides adhibeatur, quantumque fuerit dignitatis, etiam si esset Cardinalis, c. Veniens, c. Cum a nobis de testib. l. Insinuatione C. cod. tit. Felin. in c. Quod super nu. 8. De si de instrum. & per unum testem nihil probetur, nisi cum miraculo, c. fin. in fine iv. q. 3. eo loco est hoc illius testimonium, ut non tantum magnopere curandum non sit, sed etiam contemnendum & rejiciendum. Ideo quod manifestè ex actis, adeoque ex ipso ejusdem D. Dionysii testimonio constet, eum esse delatorem seu denunciatores hujus præfensi excessus, & quod eo deferente seu denunciante & instigante, ex ejus informatione & instructione universali D. Officiali datâ, Actor nomine officii hanc actionem contra Reum instituerit.

6 Iam verò manifestum est, delatori seu denunciatori delicti alicujus, si super accusatione in testem producat, fidem non posse adhiberi. Quicquid enim Bartolus & alii, in l. Divus Adrianus de custodia & exhibit. reor. & in l. Ea quidem C. De accusat. Angelus in tract. de malef. ad verb. Nec non ad denunciationem n. 21. tradunt de his, qui ex publico munere con-

stituti sunt delatores seu denunciatores criminum, quod illis facilius credatur, propter auctoritatem muneris publici: hoc tamen communiter receptum est, eum, qui citra necessitatem hujusmodi publici muneris, crimen denuntiat seu defert, inidoneum testem esse ad faciendam fidem de crimine; cum ipse etiam cogi possit ad delata probandum, & si non probet, puniri debeat, l. Ab accusatore §. denunciatores Ad S. C. Turpil. l. 1. C. De curios. & stationarius lib. 12. l. Res que §. fin. l. Non tantum de iure jfci, l. c. de Lenna ad rubr. C. de delatorib. lib. 11. Quinimò nec his, qui ex publico munere dilatores sunt, sine aliis probationibus creditur in causis arduis, seu in gravioribus criminibus, Barr. in d. l. Divus, n. 8. vers. quedam sunt, & in quibus agitur de pœna depositionis; Panorm. in c. In omni nu. 4. & ibi Felin. De testib. quale crimen procul dubio est simonia, quod sua enormitate alia omnia ferè superat & vincit, c. Sicut simoniaca de simonia; & alia crimina ad hoc crimen simoniæ comparata nihil reputantur, c. an, ut. 1. q. ult. \* 7 Ideoque etiam prima & vulgaris hujus delicti pœna est depositio ab omni officio & beneficio, c. de hoc autem de simonia; ad quam penam depositionis Actor etiam inter cetera in hac causâ conclusit. Deinde si quando aliquid ex publico munere denunciatoribus fidei attribuendum est, id faciendum non est ex sententiâ Panormitani, in d. c. In omni negotio, ubi denunciator ex sua denuntiatione aliquid commodi referre, aut ejus affectio aliqua notari potest: id quod evidenterprehenditur in persona dicti D. Dionysii, qui inordinatâ affectione, ut suo ministro occasionem consequendæ hujus Matriculariæ præberet, inquisitoris personam primum induit, inquirendo de aliqua dicti Rei simonia, admissa in aliequutione dictæ Matriculariæ; inquisita etiam committendo scriptis, ut in hoc suo testimonio fatetur. Deprehenditur ulterius in ipso, quod importunissimè apud Pastorem insisteret, utis hanc Matriculariam, velut ex simonia Rei vacantem, dicto ejus ministro conferret, & importunè instando dictum Pastorem ex bona fide, quod eam semel Reo contulisset, recusantem eo redegerit, ut ipsius D. Dionysii periculo dicto ministro contulerit, ut constat ex depositione ejusdem Pastoris per Actorem producti; cui ob id eâ in re fides adhiberi debet, l. Si quis testibus C. De testib. Marian. Socinus Junior consil. 178. Disputatur n. 33. vol. 2. Quæ inordinata affectio, & desiderium providendi suo ministro, sinistram opinionem adversus hunc testem excitare debet; idque efficere, ut ei soli, contra juris regulas, minime in re tam ardua credi debeat: quia in istis gravibus (inquit Panormitanus, in d. c. In omni negotio) non est recedendum à communiforma judiciorum, secundum quam idem non debet esse testis & Actor seu accusator; ut in effectu est delator & litis instigator. Nec hac in re dicto D. Dionysio plus tribuendum est, quod dicat se esse Dominum temporalem loci, ideoque sua interesse, ne vitiosus ingressus detur ad dictam Matriculariam: nam hic prætextus affectatus est, nec iustum colorem habet: cum ejus rei cura ad ipsum ut Dominum temporalem non pertineat, sed ad Iudicem Ecclesiasticum. Et quod hic testis suo magis inter-

interesse dicit, magis quoque idoneum reddit suum testimonium; propterea quod ista consideratione in re sua videatur dicere testimonium, quod iure non permittitur, l. Omnibus C. De testib. l. Nullus D. eod.

Remoto testimonio huius quarti testis, ex aliorum testimonio nihil periculi imminet Reo. Nam qui super tertio & quarto articulis libelli, continentibus hanc simoniacam conventionem, sub promissione sustinenda prioris asserta pensionis octo florenorum, & superaddenda alterius quatuor florenorum, producti sunt testes, præter dictum Dominum Dionysium, uno ore omnes deponunt, se nihil de eo scire. Et producti super quinto & sexto articulis de promissione & solutione duodecim vel tredecim florenorum, satis aperte quidem testificantur, solutos esse hos tredecim florenos; sed inde tamen non potest constitui crimen simoniæ, quamdiu non probatur antecedens conventio seu promissio: præsertim quia satis constat, etiam ex testimonio præfati D. Dionysii, hanc pecunia numerationem factam esse post resignationem, & ex aliorum testimonio tunc postquam Ægidius, resignatâ hâc Matriculariâ, monasticam vitam professus fuisset.

8 Iam verò manifestum est, quod sine vitio & sine crimine pravitate simoniæ, resignanti aut conferenti spirituale beneficium aliquid possit dari; potissimum post collationem seu resignationem iam acquisito beneficio, si modò nulla præcesserit pactio aut conventio, *can. Sicut Episcopum l. q. 2. c. Etsi quæstiones de simonia*: quia simonia non committitur nisi ex pacto, & sine pacto munus datum, seu ultrò oblatum liberè accipitur; idque non tantum si modicum, sed etiam si magni pretii sit, *Ioan. de Anania ex sent. Hostiens. in d. c. Etsi quæstiones nu. 5.* Nec in dubio præsumendum est id ex pacto antecedente esse factum, etiam si incontinenti post collationem fiat remuneratio seu datio, *Gloss. in V. consentiant in c. Tua nos de simonia, Fred. de Sens conf. 258.* Factum tale, quidam Abbas; quia in dubio illicitè factum præsumendum non est, l. Merito D. Pro socio, *Alciat. de præsumpt. reg. 3. præsumpt. 1.* Proinde cum satis constat, dictum Ægidium are alieno gravatum, ad monasticam vitam confugisse, & ideo huic Matriculariæ renuntiasse, idque in favorem Rei ex causa permutationis; non improbatore more potuit Reus aliquid pro solutione debitorum illius conferre sine pravitate simoniæ, cessante præviâ pactioe de dando; de qua antecedente Actor sufficienter non probavit.

9 De simulata seu collusoria permutatione dictæ Matriculariæ, valentis annue in absentia duodecim florenos, ad inane seu titolare beneficium Altaris Beatæ Mariæ in Capella L. quod proponitur, ad simoniacam labem seu crimen trahi non potest: quia in illam non quadrat simoniæ definitio, cum per compermutationem beneficiorum non detur temporale pro spirituali. Potest ea in re latere illicita seu improbatæ pactio, quæ fraudulentam faciat permutationem, sed non simoniacam, c. 2. *de renuntiis. lib. 6. Paul. Parisius conf. 130. Ad demonstrandum vol. 4.* Quamvis interim aperte non probetur, dictum Altare Beatæ Mariæ

Conf. Wamef. Tom. II.

inane & sine fructibus esse beneficium; & quod Ægidius huius possessionem non apprehenderit in causa fuit monastica illius proximè sequens professio. \* Et permutatio ob id non annullatur, quod compermutans, compermutatione factâ, nollet compermutatum beneficium accipere: satis enim est per eum, qui resignavit, non stare, quod minus compermutans illud acquirat; sic quod fieri possit, ut in permutatione unus idemque utrumque beneficium habeat; alterum quidem acquirat ex permutatione; alterum verò ex antiquo iure retineat, & sic bonâ (ut aiunt) fortunâ utatur, *Rebuff. in praxi benef. tit. De permutatione nu. 28.* Nec præsumendum est, titolare tantum esse, quod Archidiaconus confert, & sæpius conferre consuevit suâ auctoritate, per quam nemo decipi debet, l. 1. in fine C. de his qui veniam atar. imper. l. 1. P. Quando alio de peculi est annal. etiam si exiguos habeat proventus. \* Neque enim inæqualitas beneficii per se annullat permutationem, sed concursus aliarum circumstantiarum & conjecturarum, d. c. *Etsi quæstiones & ibi DD. Panor. & alii in c. 1. de cler. non resident.*

12 Quod novissimè de fama huius simoniæ permutationis proponitur, perinde etiam non satis clarè probatur: plura enim requiruntur ad famæ probationem; & hoc præsertim, unde ortum habuerit, *Bart. in l. de inmore & tormenta De quæstionib. de quo vix aliquis deponit, & major pars testium dicit se nihil scire de allegata fama; & alii magis de auditu & relatu alieno, quàm de fama deponunt.* Quam famæ objectionem discutit contraria Rei integritas: quippe deponunt ferè testes omnes, imò omnes, excepto dicto Domino Dionysio (cujus testimonium ex partialitate & inordinata affectione ad hanc causam ob id suspectius redditur) Reum esse virum probum, honestum, ac talem, qui nollet tantum crimen admittere: indicium enim quod ex allegatione famæ inducitur, tollitur per contrariam probationem bonæ & integræ vitæ, *Barol. in l. 1. §. penult. de re militari.* Quibus omnibus consideratis, existimo partes Venerabilis D. Officialis esse in absolvendo Reum ab imputatione Actoris.

## De Simonia.

## S V M M A R I U M.

Simonia quando committatur.

1. Simoniam committit qui beneficium accipit vel resignat sub promissione dandi alii elemosynam.
2. Simonia committitur sola conventionem, etiam si promissum non detur, vel remittatur.
3. Elemosynam nemo de alieno facere debet.

## CONSILIVM DLXV.

ANNO 1580. Magister Ioannes Hanoy Pastor Ecclesiæ Sanctæ Elisabethæ oppidi Montensis, & M. Philippus Laurent Canonicus & Thesaurarius Collegiæ Ecclesiæ Sancti Vincentii oppidi Soingniensis coram Notario & testibus, atque etiam feudalibus Comitatus Hannoniæ recognoscunt, quod dictus M. Philippus ad manus Gubernatoris Generalis inferiorum regionum cessit dictis Canonicatui & Thesaurariæ ad opus præfati M. Ioannis, sub

Ecc 3

legibus